

auctoris ex voluntate b. Caroli Guilielmi Sachsi nunc
 prostat, sine partium studio considerat, et simul ejus-
 dem auctoris Seriem Episcoporum Vratislaviensium ab il-
 lustri Sommersbergio juris publici factam, nec non Chro-
 nicon Monsterbergense et Francosteinense adhuc latens,
 ut et Silesiam togatam perpendit: is Henelium fuisse
 et rerum Silesiacarum peritissimum et amantissimum,
 utraque mihi largietur manu. Haec inter scripta non
 solum in Praefatione ad Silesiographiam renovatam,
 verum etiam in Epistolis Rhonianis et Notitia Scripto-
 rum Rungiana citatur Henelii *Genealogia principum
 Silesiae*, quae diligenter composita, sed post mortem
 auctoris fato quodam evanuisse dicitur. Quo minus au-
 tem certo definire possum, num ejusmodi Genealogia
 Ducum Silesiae ab Henelio unquam elaborata, num
 ad finem perducta, num fato dolendo deperdita fue-
 rit, an adhuc alicubi forsitan lateat: eo certius com-
 pertum habeo exploratumque, dari adhuc Autogra-
 phum ipsius Henelii, quod Genealogias multarum e
 Silesiis familiarum genere et factis nobilium sistit, et
 post fata quidem Auctoris per Virum generosissimum,
 Dominum de Pein, Viennam deportatum, postli-
 minio autem felici fidere in Patriam rediit. Leguntur
 in eodem stemmata genealogica Sebifiorum, Sauer-
 manniorum, Bucretiorum, Haunoldiorum, Mona-
 viorum, Rybifiorum, Landeshuterorum, Logavio-
 rum, aliorumque ita, ut sexaginta quatuor familiis
 Silesiorum lux genealogica accendatur. Dubito ta-
 men, fore, ut haec genealogica latino idiomate
 exarata, unquam in lucem prodeant, cum plurima
 hoc